

UM  
RUM  
E  
EINZIA  
UM



DIVITIARUM  
EVANGELICARVM

*Disquisitio Decima nona.*

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnafii Hallenfis

Rectore

*Respondente*


VALENTINO HARTGENIO

HALBERSTADIENSI

Saxone

*Dominicâ Oculi*

*A. O. R. cl. Id. III.*



HALLIS SAXONUM

*Prelo Heredum Melchioris Oel-*

*schlegelij*





# ANALYSIS EVANGELII

*Dominica Oculi*

Luc. II. à v. 14, usque ad 20.

ANTELOQUIUM.



UCUNDUM erat, quod legi-  
tur 1. *Reg.* 17, 36. spectaculum, *Sam.* 17.  
quomodo David ovis direptorē  
leonem superaverit; sed longè ju-  
cundius, quomodo Filius Da-  
vidis, Christus Iesus Paterni gregis dissipato-  
rem & suarum ovium raptorem Damonem,  
Leonem infernalem prostraverit miraculum.  
Id quod presens etiam uberius testatur Evan-  
gelium. In quo

## THESIS I.

**P**artim habetur miraculosa cura, quæ est  
tum oblessi liberatio, cuius antecedens  
est Diaboli fugatio v. 14. in quo tum sub-  
jectum,

H h

jectum,

jectum, quod intelligitur ex antecedentibus, estq; JESUS CHRISTUS: Siquidem nisi auxiliarius iste supernè hominum causâ, uti habet Basilius Seleucensis orat. 23 non armaretur de cœlo, pridem periisset hominum genus, à Damonibus circumventum.

2. Et prædicatum, quod partim habet objectum, cum effectu summam: ejiciens dæmonium. Quæ vox quidem apud profanos denotat supremum numen, quasi δαίμων, à prudentiâ & peritiâ rerum, uti notat Lactant. l. 2 c. 15. sed modo odiosum, ut vox tyrannus.

3. Partim explicatum, per descriptionem dæmonii: & illud erat mutum. Nempe ita dicitur per metonymiam effecti, quia hominem mutum reddiderat, uti Glossa annotat. Græca autem vox etiam surdum denotat; Propriè enim significat qui neq; audit, neq; loquitur. Et sane qui à nativitate non audiunt, iidem necessario non loquuntur, habet Theophylactus in Lucam, & Hieronymus in Matthæum: Illæ enim loquimur, quæ auditis loqui didicimus. Quando autem quis non audit, non mirum, si neq; loquatur. Etiam (juxta Medicorum & Physicorum sententiam: ) propter mutuum musculorum

& nervorum inservientium lingua & audi-  
 tui, consensus. Addit Matthæus c. 12. v.  
 22. fuisse etiam cæcum (quamvis diversa vi-  
 deatur Historia, uti notat Pelargus in hunc  
 locum Quæst 1.) Vnde exclamat Chrylo-  
 stomus homil. 41. in 12. O pestiferam Dæ-  
 monis astutiam, utramq; viam occupavit &  
 obstruxit, quibus ille erat crediturus. Figura  
 autem hic est humane nature, que à Demoni-  
 bus detenta, non audire potest verbum D E I,  
 multoq; minus eloqui valet. Et ita, qui non  
 credit, subditus est diabolo, habet Augusti-  
 nus in lib. 1. Quæst. Evangel. cap. 4. Qui  
 non intelligit, & non confitetur ipsam fidem,  
 vel qui non dat laudem DEO. Sic Diabolus  
 plures fraudibus suis surdos facit Esaiæ 6. v. 9.  
 Mutos reddit in bonis, in malis loquaces, ut  
 sunt blasphemi Eph. 5. v. 4. obrectatores,  
 Matth. 15. v. 19. cæcos etiam, ne lumen Ev-  
 angeliz illis ellucescat in 2. Cor. 4. v. 4. in his  
 namq; regnat, quos inquinat, Cyprianus  
 ferm. de jejuniis, in his quos polluit, domi-  
 natur; interim etiam corporaliter nocere solet.

4. Et notationem iudicii, cujus occa-  
 sio, tum in circūstantia. Factum est autem  
 demonio egresso. Per virtutem Dei; nam,  
 Dominus postquam venit, Demones fugavit.

Hb 2

deme-

demoniacasq; affectiones, habet Theoph. ut discamus ipsum esse verum Deum & Messiam, semenq; Mulieris, dum conculcavit caput serpentis.

§. Tùm formalis causa: Locutus est mutus. Id est homo, qui antea mutus, (uti Matth. II. v. 5. dicitur, quod cæci viderint;) mutorum enim linguas Christus in eloquium solvit: Admirabilis, etiam cùm fieret, potentia; sed inerat huic virtuti alia significatio, qua ostenderet, mox futurum, ut rerum cœlestium nuper ignari, percepta sapientia cœlesti diligentia, de Deo & veritate differerent. Nam qui rationem divinitatis ignorat, is verè elinguis & mutus est, licet omnium sit disertissimus. Et ideo infans sit necesse est, habet Lact. de verâ sapientia lib. 4. c. 26. qui divina proloqui non potest. Atq; ita varia signa, addit Hieronymus in cap. 12. Matth. simul in uno homine perpetrata sunt. Cæcus videt, mutus loquitur, obsessus à Demone liberatur. Quod & tùm quidem carnaliter factum est, sed & quotidie completur in conversione credentium, ut expulso primùm Demone fidei lumen aspiciant; deinde in laudes Deitacencia prius ora laxentur, ait Beda. Christus enim cithara est, qua Damon pellitur,



tur, 1. Sam. 16. v. 23. *Lux mundi est, quâ cæcitas tollitur, Johan. 5. v. 9. Verbum Patris, quod aperit os mutorum, Sap. 10. v. 21. auris est, quâ omnia audiuntur. Sap. 1. v. 10.*

6. Et ratio per effectum: Et admiratæ sunt turbæ. *In turba confessio nationum est, habet Hieronymus in Matth. Hæ verò partim admiratæ ex malitia, prout sequitur; partim etiam ex rei veritate. Unde Matthæus dicit, quod obstupuerint; Vt discamus, excitare animum, & observare opera divina.*

7. Consequens est, partim accusatio tum calumniatorum Phariseorum, quasi esset Diaboli cooperatio v. 15. in quo subiectum vagum. Quidam autem ex iis dixerunt. Quos Matthæus expressè nominat, Phariseos fuisse. Turbis quippe, habet Beda, quæ erudita minus sunt, semper Domini facta mirantibus, illi contrà vel negare hæc, vel quæ negare nequiverant, sinistra interpretatione pervertere laborabant: Per invidiam, nam quia humanam infirmitatem, habet Hilarius c. 2. in Matthæum, hæc tanta eius opera excederent, pudorem suæ confessionis majorem, perfidei scelere declinant. Vt discamus à morsu sycophantarum nihil tutum esse: & insimul observemus invidiam malum esse ne-

quissimum, uti habet Chrysoft. homil. 41.  
in c. 12. Matth.

8. Prædicatum desumptum à causa organica: in Beelzebul principe dæmoniorum eicit dæmonia. Quasi dicerent æquè quod fecit Simon Magus Act. 8. v. 9. Est autem Beelzebul, quomodo secundum Græcum textum legimus, à Baal quod Dominum significat, & Zabel seu Zebal, quod stercus denotat, ut idem sit ac Jupiter stercoreus. Sic autem & Arabica versio legit, Chrysoftomus, Origenes, Athanasius, Cyrillus, Prudentius & ΕΙ ΣΕΦΑΥΩΥ hymno 5. Quamvis alii arbitrentur, per paronomasiam Bul in Bub esse mutatum, & intelligi Idolum Accaron, cuius fit mentio 2. Reg. 1. v. 3. Beda: ut discamus immunditiam Spiritus, quemadmodum etiam immundus indigitatur Lucæ II. v. 14.

9. Tum simulatorum aliorum signi postulatio v. 16. in quo habetur modus: alii autem tentantes. Quodammodo modestiores & extenuantes miraculum, quasi nihil singulare sit demonem exturbare.

10. Et effectus: signum quærebant ab eo de cælo. Vel in morem Elie ignem de cælo venire cupiebant; vel in similitudinem

nem

nem Samuelis tempore aestivo mugire tonitrua  
 1. Sam. 12. v. 18. & coruscare fulgura, im-  
 bres ruere, manna de caelo pluere. Exod.  
 16. 26. uti habet Beda & Glossa ordina-  
 ria: vel facere Solem stantem, Josuæ 10.  
 v. 13. vel retrogredientem 2. Reg. 20. v. 9.  
 Ut discamus, non omnes qui miracula  
 querunt esse probandos, quemadmodum  
 etiam CHRISTUS propterea apud  
 Mattheum vocat nationem pravam &  
 adulteram. Matth. 12. v. 38. Primitiva  
 quidem Ecclesia, ait Gregorius Magnus  
 lib. 27. c. 9. de expositione miraculo-  
 rum, adiutorio indiguit, sed modo non  
 itidem. Etenim & Ethnici miracula e-  
 diderunt. Vespasianus caeco visum, muto  
 linguam restituit, habet Tacitus lib. 4.  
 Histor. sic & Adrianus, ut habet Spar-  
 tianus in vita Adriani. Possunt etiam,  
 quod Augustin. lib. 38. Quæst. 2. habet,  
 miracula quaedam scelerati homines facere.  
 Quin, qui adhuc prodigia, ut credat, in-  
 quirat. Magnum est ipse prodigium, qui  
 mundo credente non credit. Augustin. lib.  
 22. de c. D. c. 8.

II. Partim Christi refutatio, quæ vel  
 est elenctica specialis per argumenta

484  
respectiva ab absurdo consequente; ubi  
major, & est regni proprii desolatio v.  
17. in quo causa impellens: ipse autem  
videns eorum cogitationes: Est siqui-  
dem *καρδιογνώστης* I. Sam. 16. v. 7. dum  
non ad dicta, sed ad cogitata respondit;  
ut ait Hieronym. in c. 12. Matth. dum,  
quod Marcus habet, non in conspectu  
CHRISTI, sed in loco nonnihil ab eo  
remotiore antecedentia disputata sunt; ut  
vel sic compellerentur credere potentia ejus,  
qui cordis videbat occulta, habet Hieronym.  
Neq; enim, quod addit Basil. in Epistola  
13. ad calumnias tacendum est, non ut con-  
tradicens nos ulciscamur, sed ne in offensis  
progressum permittamus. Inter responden-  
dum tamen modestè, animosè, perspicuè &  
piè est agendum.

12. Et forma ab effectu per compara-  
tionem similitum à regno: dixit eis omne  
regnum in seipsum divisum desolatur.  
Inde ita argumentatur: si Satanus adversus  
seipsum dissidet, regnum diu stare non potest.  
Sic regnum Israel amisit, quando adimple-  
sionem legis in CHRISTO plebs legis  
impugnavit Hilar. in Matth. can. 12. id  
quod demonstrat omnis Politia & œcono-  
mia.

nia, in quibus discordia omnia pessundat,  
 vel secundum illud ipsum quod vulgatum:  
 Concordia res parva crescunt, discordia  
 magna dilabuntur, quod vel tota Europa mo-  
 do testatur. Exempla sunt in regimine A-  
 bimelechi, Absolonis 2. Sam. 16, 20.

13. Et à domo: & domus supra do-  
 mum cadit. Quod enim de toto verum est  
 & de magno; id aequè & de parvo & de  
 parte: unde concordia in omni vita statu  
 colenda. Quis ignorat Caini & Abelis  
 exemplum? Gen. 14. v. 8. Esavi & Jacob.  
 Gen. 27. Fratrum Josephi Genes. 34. v.  
 4. è publico namq; privatum dependet  
 Domum quippe sive edificium intellexeris,  
 bene, habet Theophylactus: nam edi-  
 ficium, quam diu se cohibet & servat con-  
 tinuitatem, consistit: postquam autem muri  
 dispescunt, cadit, sive eos, qui domum in-  
 habitant intellexeris: nam hi quam diu  
 pacifici sunt, conservantur: cum autem in-  
 ter se dissident, cadunt. Quin domus &  
 civitatis eadem ratio, qua regni: sed civi-  
 tas, hinc Hierusalem indicatur, gentium  
 semper gloriosa dominatu: Nunc postea-  
 quam in Dominum suum furor plebis exar-  
 sit, & Apostolos ejus cum credentium turbis

effugavit, discedentium illic divisione non stabat, habet Hilarius.

14. Minor est Satanis divisi & pugnantis mutatio v. 18. in quo applicatio à contrario, ubi antecedens ex hypothesi: Si autem Satanus in seipsum divisus est. Ex sententia calumniantium, quasi per Beelzebub demonia ejiceret; ita nimirum ex confessione ipsorum volebat intelligi, quod in eum non credendo in regno Diaboli esse delegissent, quod utiq; adversus se divisum, stare non posset. Eligant ergo, inquit August. serm. 11. de verbo Domin. Pharisei, quod voluerint.

15. Consequens per interrogationem formatur. Quomodo stabit regnum ejus? nempe si potest Satanus Satanam ejicere, recedant de regno ejus, inquit August. quod adversum se divisum stare non potest. Et licet Satanus corporis sensibus parcat; parcat tamen ideò ut ipsius hominis voluntati, per impietatis errorem, triumpho majore dominetur. Hoc autem modo, non exit Satanus habet Augustin. lib. 83. Quæst. 79. sed potius in intima ingreditur, ut in eo operetur.

16. Et per rationem; quia dicitis in  
Be-

Beelzebul ejicere me daemonia. Ratio enim connexionis à contrariis manifesta est, dum aliàs Satanàs, uti dictum, à se ipso dis- sideret, quod est impossibile.

17. Tùm argumento ab exemplo pari, ubi filiorum eorundem ejicientium al- legatio v. 19. in quo ratiocinium per in- terrogationem figuratur, ejus antece- dens: si autem ego in Beelzebul ejicio daemonia: nempe ex hypothesis, non ex con- cesso; Siquidem illud absurdum est, ex quo absurdum sequitur.

18. Consequens, Filii vestri per quid ejiciunt? Quia similia effecta habent si- miles causas. Per filios vero vestros intelli- git exorcistas in populo Judaico, quemad- modum Matth. 7. vers. 22. Marc. 9. v. 39. Luc. 9. v. 49. Actor. 19. v. 13. eorum fit mentio. Nam ista potestas exortisandi fuit usitata apud Judæos, ita etiam in primiti- va Ecclesia apud eos, qui miraculorum dono ornati erant, uti habet Justinus Mar- tyr in dialogo contra Trypho: Irenæus lib. 2. adversus hæreticos cap. 58. Hodie verò partim cessavit, partim etiam non te- mere, sed cantè usurpanda, quia nullibi mandata, & fallit ut plurimum. Non  
verò

verò sunt Apostoli, uti Augustin. Chryf. & alii voluerunt, quia tùm temporis nondum erant dono miraculorum instructi, 2. quia sunt potius filii Christi quàm Pharisæorum, dum Christum sequebantur. Et quidem coarctat, habet Beda ex Hieronymo eos interrogatione prudenti, ut confiteantur Spiritus S. esse opus. Quod si expulsio, inquit, demonum in filiis vestris DEO, non Demonibus deputatur, quare idem in me non eandem habeat causam?

19. Tum est iudicium: propter hoc iudices vestri ipsi erunt. Hoc est affirmabunt demonia virtute divina ab ipsis ejici, & iudices vestri ipsi erunt, non potestate sed comparatione, dum illi expulsionem demonum DEO assignant: Vos Beelzebul principi demoniorum, ait Beda. Et ita semper argumenta ex falso petita, ineptos & absurdos exitus habent, ait Lact. de orig. erro. l. 2. c. 6.

20. Absoluta, tum à contrario, per digitum DEI Daemoniorum fugatio v. 20. In quo modus seu causa ejectionis; si autem in digito Dei ejectionis demonia. Quasi diceret, quod fit per digitum DEI non potest fieri per Beelzebul, Per digitum autem DEI per metonymiam metaphoricam, imperium, & me-



& metonymiam effecti potentiam, cuius ἡ  
 ποικιλία ipsam Spiritum S. Matth. 12, 18.  
 intelligit, quia digito exercetur potentia, & di-  
 stribuuntur dona. *Digitus ergo Dei Spiritus  
 Dei est.* *DEVS* autem Spiritus est, & ni-  
 hil habet in substantia sua corporale, sed totus  
 est Spiritus. *In Spiritu DEI* eiecit demoni-  
 um, qui in digito *DEI* eiecit, ait Ambros.  
 in Psalm. 43. sicut enim digitus cum manus  
 & brachio, manus verò & brachium unum  
 sunt corpore in natura, ita Pater, Filius, &  
 Spiritus S. habet August. lib. de essentia  
 Divinitatis. Ut & exinde colligamus Spi-  
 ritum S. esse verum *DEVM*: iste enim est di-  
 gitus quem confitentur & Magi, qui contra  
 Mosen & Aaronem signa faciebant, dicen-  
 tes, hic est digitus Dei, habet Hieron. in c. 12.  
 Matth.

21. Effectus: Profectio venit in vos  
 regnum Dei, ubi enim Spiritus est, ibi re-  
 gnum *DEI*. Nos etiam, in quibus habitat  
 Spiritus, addit Ambros. lib. 7. c. 11. regalem  
 domum habemus: sed & regnum Dei est, quo  
 damnantur impii & à fidelibus de peccatis  
 suis poenitentiam nunc agentibus secernuntur:  
 aut ut ostendat, si per digitum *DEI* eiciuntur  
 demonia, regnum Messie adesse. Aug. in 99.  
 Evang.

Evang. lib. 1. q. 5. *Arguit ab effectis propriis ad demonstrandam causam: nam regnum Dei & salutaribus his miraculis confirmandum erat. Ut discamus, si à Satane velimus esse liberi, digitum DEI seu Spiritum S. admittamus.*

22. Et à simili, cuius protasis est armorum & bonorum occupatio v. 21. in quo causa in subiecto conditionatè; cum fortis armatus. Ubi allegoria à causis bellicis desumpta. Et intelligitur ipse Diabolus; Moraliter etiam potest exponi de peccatore obstinato, qui defendit peccata hominum contra reprehendentem. Adeo ut non sit musca tantum, sed etiam Spiritus subtilissimus cum cogitationes possit penetrare 1. Reg. 3. 39. agilissimus, cum in momento ubiq; sit, uti loquitur Tertull. Apologético 22. experientissimus, cum omnia genera tentandi didicerit, semperq; ad ingenia impietatis, quod iterum Tertullianus habet de velandis virginibus c. 1. sagacissimus, dum omnium ventilat curas, omnium scrutatur affectus: & ibi querit causam nocendi, ubi viderit quempiam diligentius occupari, ait Leo de nativ. Domini lerm. 2. cap. 7. & iraculentissimus. Ut discamus nobis cavere.

23. Et effectum: dum custodit suum atrium.

atrium. Per quod homines impii, quos sub  
potestate habet, intelliguntur. Dum in pace  
sunt bona eius: quam diu malicia volunta-  
tem obtinet, sive ad poenam malorum, vel  
laudem bonorum, ait August. lib. 3. de Trin.  
Et propterea apud Esaiam 49. v. 24. justus ap-  
pellatur, quia justam contra nos causam ha-  
bet, ex justo Dei iudicio & decreto.

24. Apodosis, est fortioris exspoliatio  
v. 22. in quo modus: Postquam autem for-  
tior eo superveniens; per quem intelligitur  
Christus, qui venit ut opera diaboli destrus-  
at, secundum predictum Esaiam 49. 24.

25. Et effectus in genere: Vincit eum.  
Victor enim Diaboli est omnino Christus, ut  
qui caput eius contrivit Gen. 3, 5. Non ergo  
debet timere hostem fortem, inquit Chryso-  
st. hom. 19. in Matth. qui principem habet  
fortiorem.

26. In specie: Omnem armaturam eius  
tollit in qua confidebat. Fuit quidem an-  
te adventum Christi, inquit Theophyl. fortis  
Diabolus & custodiebat atrium suum, hoc est,  
prevalebat & imperabat humana natura for-  
titer & secure. Postquam autem venit illo  
fortior, & vicit mundum; omnia arma eius



in quibus fidebat, & prevalebat adversus homines, ait Theophyl. in Lucam. abiecit & spolia eius distribuit victor gloriosus. Spolia verò eius sunt homines ab eo decepti, quæ distribuit victor Christus, quod est insigne triumphantis, habet Beda: *Ut discamus considerare Christo.*

27. Et Christi & Diaboli contrariatio: argumento nimirum à pugnantibus studiis & effectis desumpto v. 23. in quo partim quoad præsentiam: qui non est mecum contra me est. *Vi proverbialis sententia: posito enim uno tollitur alterum. siquidem Christus est veritas & iustitia, Satanas mendax & iniustitia. Non autem ait: qui non est sub voce nominis mei, aut sub specie sacramenti mei; sed qui non est mecum contra me, ait Augustin. serm. 11. de verbo Dei. Neque vult Christus communionem, sed solus vult possidere quod emit. Tanti enim emit, ut solus possideat te tamen facis, ait August. tract. 7. in Joh. ei consortem Diabolum, cui te per peccatum vendideras.*

28. Et quoad efficientiam: qui non colligit dispergit; siquidem Christus colligit oviculas suas à lupo dispersas Es. 46. 8. Ezech. 43. v. 13. Satanas vero dispergendo dispersit  
oves

oves Job. 10, 12. Non ergo est adversum se  
divisum regnum Christi, inquit August. si ho-  
mines conantur dividere, sed divisum à regno  
diaboli. Ut discamus societatem malorum fu-  
gere, cum nulla sit participatio boni & mali.

29. Sequuntur didactica, quæ habens  
tum comminationem, quoad statum, &  
est Spiritus pervagatio v. 24. in quo subje-  
ctum; cum immundus spiritus. Qui est  
ipse diabolus talisq; dicitur Matth. 20, 1.  
Marc. 1, 26. Act. 5, 16. primò ob naturam  
suam immunditiam; unde in suos quoq; grassa-  
tur. Et quia homines reddit immundos &  
peccatis contaminat. Et quamvis simplici-  
ter intelligi possit, Dominum hæc ad distinctio-  
nem suorum & Satana operum adiunxisse,  
quod ipse semper polluta mundare, Satanas  
verò mūdāta gravioribus festinet attaminare  
sordibus; tamen de quolibet malo potest non  
inconvenienter accipi, inquit Beda.

30. Prædicatum ab effectu in genere:  
exit ab homine. Quando virtute Christi per  
verbum ejicitur.

31. In specie quoad abitum, ratione ter-  
mini per quem; ambulat per arida loca.  
Ambulant tanquam Leorugiens 1. Petr. 1, 8.  
Quæ sunt impiorum animi & corda, quæ cum

sterili & infrugifera terra comparantur, prout  
testatur, Historia Jobi cap. 1. v. 7. suntq; ea  
ipsa quae bona opera non praestant. Hieron.  
intelligit gentiles, qui cum aridi erant, hoc est de-  
stituti omni humore salutarium aquarum spi-  
ritus S. tunc Diabolus transit.

32. Respectu termini ad quem: quaerens  
requiem. Dum indefesso labore his per-  
dendis inhiat.

33. Quoad reditum per dialogismum  
conjectim: & non inveniens. siquidem &  
gentiles qui per baptismum rore Spiritus S.  
humescabant, jacula adversarii ignita restin-  
xerunt, ait Ambros. lib. 7. in Lucam c. 11

34. Distinctim quoad propositum; re-  
vertar in domum meam. Dum pios sollici-  
tudine occupatos occupare nequit, hoc est, ibo  
ad Iudeos, quos ante dimiseram, habet Hieron:  
Neq; dicit se expulsus, sed sponte exiisse, &  
quidem ita ut cor hominis, sicut ante fuit, ma-  
serit domus sua.

35. Et quoad terminum: unde exivi.  
Et ita in uno homine, totius populi Iudaici  
comparatio est à quo immundus spiritus per  
legem exierat; & quia in nationibus & gen-  
tibus fidem reperire non potuit, regressus est  
ad plebem Iudeorum, habet Ambrosius &  
Theo-

Theophyl. *Vt discamus cum timore & tremore operari nostram salutem.*

36. Et quoad effectum: Estque tum hominis securi ratio v. 25. in quo tempus: & veniens in loca per quæ vagatus, non invenit requiem. *Ergò redit.*

37. Et modus: invenit scopis versam & ornatam. Per qua metaphoricè intelliguntur homines securi, Epicurei omnis generis peccati fomenta prabentes. Vacabat enim templum judæorum, inquit Hieronymus, & Christum hospitem non habebat, dicentem: *Surgite abeamus hinc. Quia igitur & DEI & Angelorum præsidia non habebant, & erant ornati superfluis legis observationibus & traditionibus Phariseorum, revertitur diabolus ad pristinam sedem suam: dum forensi & perfunctoriâ specie comta, animo interiore manebat pollutior ait Ambros. Vt discamus securitatem fugere & omnem hypocrisin, qua apparet munda, vitare.*

38. Tum redeuntis diaboli cum aliis dominatio v. 26. in quo effectus quoadmodum: tunc vadit & assumit. *Neq, enim emanet, aut solus redit, sed comites sibi adjungit.*

9. Tum quoad socios, qui descri-

buntur à quantitate absolute: septem alios. Vbi per certum numerum incertis synecdochicè intelligitur; quia septem pro multis Sacra Scriptura usurpat, ut ait Theophyl. Aut septenarium numerum adiunctum Diabolo, vel propter Sabbathum intellige, ut Hieronymus, vel propter numerum Spiritus S. ut è contrario vitiorum numerus in Diabolo, quemadmodum in virginitibus consecratus sit. Quoniam in hebdomada legis & octava mysterium sacrilega mente commissum, ait Ambros. lib. 7. in Luc. c. 11. Itaq; ut nobis multiplicatur septiformis Spiritus gratia, ita in illis immundorum Spirituum omnis cumulatatur injuria; universitas enim hoc numero aliquoties comprehenditur, per quod septimo die conclusis mundi operibus requievit DEVS, & ut Spiritus bonus septiformis munere, sic spiritus iste malus septiformis scelere, ait Glossa.

40. Relatè; & ingressi habitant ibi. Hieron. ait, demonstratur peccatum in Spiritum S. quod est blasphemia & abnegationis, cum dicantur inibi habitare, ostenditur irremissibile Matth. 12. v. 31.

41. Et eventus: & sunt novissima illas hominis pejora prioribus, Vnde melius est,



est, inquit Beda, viam virtutis non agnoscere, quam post agnitam retrorsum reverti: ut non de baptizatis solum sit intelligendum, relapsis in peccata, sed potius de blasphemis, quod Hieronymus monet. Ideoque studiosè & diligenter cavendum est, ab impuri spiritus malitiâ armis spiritualibus, Eph. 6. v. 10. Et, quod monet Hieronymus Epist. 4. ad Rusticum Monachum, semper aliquid faciendum operis, ut diabolus occupatum inveniat.

42. Tum gratiosam testificationem de summâ felicitate: ubi & mulieris exclamatio v. 27. in quo temporis circumstantia: Factum autem est, cum hæc loqueretur. Nimirum cum Pharisei & Scriba miracula taxarant, & ipse eosdem refutaret. Ut ostendatur, nunquam tamen deesse in rebus bonis, etiam approbatores. Laus quidem humana non appetitur à rectè faciente, sed subsequi debet. August. lib. 2. de sermone Domin. in monte.

43. Tum forma, quæ præmittit causam efficientem quoad factum; extollens quædam mulier vocem ex turba. Quam Marcellam nominat Lyra, Marthe Lazari sororis ancillam. Et ita mulier simplex, do-

loq<sup>3</sup> carens celebrat miraculum, ut ait Theophyl. in Lucam. Magna autem fiducia inter blasphemos confiteri DEVM. Ex turba in figuram Ecclesie, quæ in medio gentium confitetur, creatorem. Vt discamus, DEVM viris tacentibus, etiam per mulieres laudem sibi parare posse. Sic obstetrices Ægyptiaca Exod. 1. v. 17. Puella in Syriam captiva ducta 2. Reg. 5. v. 3. Hanna Prophetissa Lucæ 2. v. 36. Vxor Pilati Matth. 27. v. 19. Non enim caro solum ad mulieris constructionem desumpta est, inquit Basiliius conci. de Juditha Tom. 1. Sed & os ex ossibus, ex quo & robur, & constantia & patientia tam fœminis ex DEO, quàm viris debentur.

44. Et verba, quæ continent ium generationem: dixit illa, beatus uterus portans te. Atq<sup>3</sup> ita Maria verè beata, uti & ab Angelo ita salutatur Luc. 11. v. 48. uti seipsam nominavit ibidem, Luc. 2. v. 11. Siquidem per Spiritus S. obumbrationem concepit, non solum quia peperit, sed quod habet Elisabetha Luc. 1. v. 44. quia credidit, quod ait August. tract. 10. in Johan. & quia Matrem laudat, & beatificat ex Filio, & non è conuerso, quia ab illo provenit gratia & glo-

*Et gloria, ratione Deitatis principaliter, ratione humanitatis instrumentaliter, ait Lyra.*

45. Et educationem; & ubera quæ suxisti. Non enim apparenter tantum apparuit homo, inquit Lyra. Sed *Et ubera suxit, Ut discant mulieres, non generare tantum sed Et lactare Et educare: Siquidem ipse DEI Filius matris suæ ubera suxit, Et infantum alimoniam confirmavit Et consecravit: rectissimeq; benedictionem uteri Et uberum conjunxit, Gen. 49, 25.*

46. Et CHRISTI limitario v. 28. in quo subjectum: Ille enim dixit. Nempe de quo mulier locuta; Siquidem matrem beatam laudat, & laudat è Filio, non verò è converso.

47. Et prædicatum, in quo summum: ille beatus. Non quòd generavit Et educavit, quasi dicat, non solum Maria laudanda, quia verbum Dei portavit in utero: ut carnali cognationi genus spirituale præponeret.

48. In specie; audientes verbum & custodientes illud. Sunt enim ista duo media, per quæ DEUS beatitudinem operatur. Non autem est responsum repudiantis, inquit Chryl. hom. 46. in Matth. sed ostendentis

beatiorē esse Mariam percipiēdo fidem  
 CHRISTI, quā concipiēdo carnem  
 CHRISTI. August. lib. de virgin. c. 3.  
 & Tertull. in lib. de carne CHRISTI  
 c. 7. *Vultis itaq; nosse quam beati; inquit*  
 Bernhard. sermone de multiplici utilitate  
 verbi DEI, primum quidem sonans in au-  
 ribus anima vox divina conturbat, terret,  
 dijudicatq; : sed continuo si bene adverteris  
 vivificat, liquefacit, calefacit, illuminat,  
 mundat. Deniq; & cibus est anima, sed si  
 non completur opere, non affert salutem ani-  
 ma, habet Cyrillus lib. 6. in Johann. c. 7.  
 & frustra custoditur memoria, si non custo-  
 diatur & vita, inquit Augustin. in Psal. 118.  
 can. 15. Opus itaq; est ut crescat in nobis fi-  
 ducia bonis actibus parata, inquit Ambros.  
 comment. in 2. ad Cor. 13.



## NOTÆ.

I.

**A** Lii aliud signum quærebant, ]  
 Considera licet CHRISTUS magna  
 bene-


beneficia exhibuerit, tamen maximam turbam malè interpretatam fuisse; ut discas, invidi, impii & maligni ingenii esse optima vel malè interpretari, vel extenuare.

## II.

**J**ESUS videns, ] considera **C**HRI-  
**S**TUM non maledictum maledicto reddidisse, sed tantum honorem **D**EI vindicasse; ut discas, si quid contra personam tuam fiat patienter propter **D**EUM ferendum esse, ac impietati etiam condonandum; si autem contra honorem **D**EI confutandum & rebel-  
lendum.

## III.

**M**ULIER de turba clamavit, ] con-  
sidera Mulierem non curasse re-  
liquorum calumniantium iudicium; ut discas, potius contemni cum **C**HRI-  
STO, quam honorari cum Diabolo.



## CASUS.

An obsessi vaticinari valeant?

**I**Ta videtur 1. quia de Christo testati, quod sit Messias Marc. 3. 11. & quia de Saule dicitur quod propheta verit.

2. Quia Budæus in l. i. ff. de ædilit. edict. exsertè fanaticos demoniacos appellat qui demonio afflati vaticinantur.

3. Etiam Melancholici futura prædicunt ut habet Codronch. l. 2. c. 8.

Sed contra 1. Diabolus Pater mendacii Joh. 8. 44. ergò si prædicit falsa, non vera.

2. Fura non concedunt idem esse fanaticum quod demoniacum, quia in his demonium, in illis est humor melancholicus, uti habet Paris. de resignat. benefi. lib. 5. b. 6. n. 96. & Zachia in qq. Medico legal. lib. 2. q. 18. p. 159.

3. Augustinus inquit serm. 24. Nec credenda sunt, quæ vera dicit Sathan: si quidem qui semel mentitur, regulariter sem-

*semper presumitur talis* l. *semel de R. in*  
 6. l. *sicuti* 7. § 1. ubi Bart. ff. *de re*  
*milit.* Menoch. *cont.* 82. n. 140.  
 Et mendax in uno, in omnibus presumi-  
 tur, arg. not. n. l. fin. ff. *de Rei vindi.*  
 Mascard. *de probat.* : lib. 2. *concl.*  
 1005. n. 45. Deniq; homicida testis esse  
 non potest per tex. in c. *super eo elect.*  
 I ubi Felin. X. *de testib.* Aufrer. *de sta-*  
*tibus* n. 50.

*Ad contraria argumenta* 1. *Testatus*  
*quidem de Christo, sed Christus rejicit te-*  
*stimonium,* Marci 3. v. 12.

*Ad* 2. Budæus errat, quia fanatici  
 illi sunt, qui ex supernaturali, vel natu-  
 rali causa per dies quasdam vaticinantur  
 vel videntur vaticinari, quod quia in  
 fanis fiebat idcirco ita appellati. Demo-  
 niaci verò non itidem, uti habet Zacchia  
 l. 2. q. 11. n. 8. p. 159. Dæmones enim  
 prophetare nequeunt, quia nihil per se age-  
 re possunt, quod natura vires superat. Er-  
 go ope natura, quæ aliquam connexionem  
 habent cum rebus præteritis. aut præsentibus,  
 prævidere possunt, cum sit vel autor  
 talis.

et alium futurorum, sed futura edicere ut  
futura, non possunt, uti habet Navar. in  
Relect. c. novit. de jud. notab. 2. l. 95.  
Zacchia lib. 4. tract. 1. q. 5. n. 41. Mira  
quidem facit quæ nobis videntur talia,  
cùm causas ignoremus, sed non miracula  
sunt.

Denique quod Melancholicos attinet,  
predicunt, sed non sunt certa, contingen-  
tia tantùm, quæ aliter evenire possunt. Id  
quod & alii homines faciunt Zacch. l. 4.  
t. 1. q. 5. n. 27. Efficiunt etenim multa,  
quæ ipsi non intelligunt, ut Caiphas. Val-  
les. de Sa. Phil. c. 90. Ghirl. de sorte.  
q. 5. n. 1.

An mater teneatur ubera præ-  
bere infanti?

**N**ON videtur, 1. quia nullibi manda-  
tum in sacris: Quod autem non man-  
datum, id videtur non faciendum. Et ipsa  
mulier distinguit inter ventrem & ubera.  
2. Quia jura tantùm de partu loquun-  
tur, quod juris naturalis procreare sit planè.  
3. Quia consuetudo in contrarium.  
4. Quia mater partus laboribus sæpè  
adeò debilis & infirma facta ut non possit.  
5. In-



5. *Indecorares, & planè indigna circa fordes occupari, uti voluit Bal. Aut. in l. alimenta. C. de negot. gest. Rom. in l. cum dotem, §. sui autem col. 10. ff. solut. matri. Vital. in tract. Clausul. Char. 218. uti & Azo in C. de patris potest. in fil. & Aug. Nefennius ante fin. ff. de Negot. gest. & in l. si competenti C. de alend. lib. Tiraquell. de Nobil. c. 20. n. 78. 79. Garf. de expens. c. 30. n. 30. Nolden. de statu Nobil. c. 16. n. 1. p. 351.*

*Contra 1. Hic venter, qui portavit, & ubera, qua sueta, beata predicatur. Luc. 11. v. 27.*

*2. Exempla testantur in sacris, quòd lactaverit Sara suum Isaacum Gen. 21, 7. & Hanna Samuelem Samuel. 1, 23.*

*3. Peccatur contra 5. 6. & 7. preceptum, dum negliguntur & corrumpuntur infantes.*

*4. Matribus propterea natura de lacte prospexit; & idem lac in mammis, quod in utero alit. Unde Hippocrates de natur. pueror. quando fœtus grandior fœtus,*

*Etus,*

*Etus, & se circumvolvens acetabula uteri  
comprimit, sanguinemq; regurgitare fa-  
cit ab utero ad mammam, ut per subtractio-  
nem sanguinis, foetus exitus moneatur, &  
per generationem lactis exituro cibus fa-  
miliaris preparatur, Gellius lib. 12. c. 1.  
Arnis. Relect. Polit. c. 4. l. 4. n. 14.  
Gale. de sanit. tuenda l. 1.*

5. *Affectio major in matre, quam os  
de osse & caro de carne.*

6. *Periculosa mutatio lactis, cum o-  
mnium optimè unumquodq; ex eo alimē-  
tum accipiat, à quo generatum.*

*Et unicuiq; melius est in suâ matrice,  
quàm in aliâ Columell. l. 7. R. rust. c.  
12. Belold. ad l. 1. ff. de J. & J. q. 24.*

7. *Aliàs mores mali à nutricibus, quæ  
plerunq; inhonestæ, suguntur. Nero talis,  
Tiberius itidem.*

8. *Leges volunt, nec Filium, 9. C. de  
patriâ potest. Alvis de Albert. sing.  
159. Plato in De LL. Aristotel. 7. poli.  
c. 17. œcon. 1. c. 3. Ambrosius de Pa-  
triar. ch. c. 7. Matres provocantur memi-  
nisse dignitatis suæ & lactare filios suos.*

*Hæc*

*Hæc enim matris gratia, hic honos, quo se propius commendent viris, in c. ad ejus concub. dist. 5. Plutarchus de educandis liberis Eras. in colloquiis Tiraq uel. de nobil. c. 20. n. 80.*

*Ad contraria 1. Omnino quia jubetur esse matres, non autem sunt, nisi alant. Id quod exempla docent.*

*2. Non excludunt alimentationem & lactationem, sed præcipiunt ex antecedentibus.*

*3. Consuetudo impia & improba c. ad ejus concub. dist. 5. Azo in sum. ad l. nec fili. 9. n. 2. Unde &, quod habet Rusticus in lib. de educat. Gracchus nutrici gemmam magnificam, matri viliorem dedit, hoc subjiciens indignanti matri: O mater hoc ago, quia tu solum novem mensibus me gestasti in utero, hæc tribus integris annis in ulnis, negasti mihi quod præter ramis, quod simia catulis non negat, Cas. lib. 1. æcon. c. 3. p. 88. Tacitus laudat in eo mores germanorum, quod sua quemq; mater uberibus alat; nec ancillis, nec nutricibus sc̄mittit Cic. de clar. orat.*

Chry-

Chrysoſt. in pſal. 50. hom. 1. apud divi-  
tes cum genuerit Filium ſtatim tradit fo-  
rās & pietatis inſignia abſcindit ſuperbiā.  
Erubeſcit fieri nutrix, quæ facta mater.  
Et ſi ſinu fovere catellos honorificum, non  
erit dedecus infantem.

4. Quod ſi tamen imbecillitas matris  
prohibeat, ut vel ſit defectus in uberibus,  
vel in viribus, quo vix ſine vite periculo  
lactare poſſit, excuſatur. Nobilitas a. & ino-  
pia matris vix tanta quanta Mariæ Ma-  
tris Domini. Hinc exclamat Caſus: ô ci-  
nis, ô pulvis! œcon. l. 1. c. 2. n. 1. p. 86. &  
addit p. 103. opto ut delicatiores fœminæ  
turpiorem nullam labem in ſinu videant,  
quàm quæ ab ore infantis fluit. Inhumana-  
num non eſt fœminam humanam eſſe ſuis;  
indecorum non eſt fructum uteri in mani-  
bus geſtare. Quippelilia & roſe ſunt in  
ulnis, quæ in utero fuerunt ſpine. Et ſatius  
matres habere nutrices, quàm lupos cum  
Romulo & Remo. Videatur Juſtin. lib. 43.  
patri c. 4. de Repub. 6. Tholoſ. 14. de  
Repub. c. 4. Keckerm. diſp. 28. q. 18.  
Frideric. 1. pol. c. 5. Richt.  
axiom. œcon. 47.



**C**OR penetrare solet quoties obsessa vide-  
mus

Corpora, qua tenuit Spiritus ipse Deus.  
At magis quum legimus, qui corde miserius  
Iesus

Horum, qui pulso Damone facta sacra.  
Id docet historie, pepulit cum Damona Chri-  
stus:

Quo simul ejecto lingua soluta fuit.  
Dixerunt tamen: ille fugat per Damona  
summum

Orbis primatem Damonis omne genus.  
Ast alii vero tentantes quarere signum,  
Optabant caelo nobile quodve dari.  
Ipse tamen mentis gnarus cito subjicit: omne  
Regnum divisum corrui, ipsa domus.  
Et Satanas in se divisus, quomodo stabit  
Illius regnum? Non fugat ipse parem.  
Quin & si per eum fugo Damona, quomodo  
vestri

Ejiciunt. Nati? Judicis instar erunt.  
Si tamen ejicio digiti virtute potentis;  
Ad vos nunc regnum venit & omne Dei.  
Fortis ut armatus custodit & atria cuncta  
Tunc in pace bona, qua tenet, illa tenet.

For.

Fortior ast ubi successit tunc vincit eundem.  
Ac spoliat, pradam distribuitq<sub>3</sub> suam.  
Qui non est mecū mihi na contrarius: Et qui  
Colligit haut mecū, dissipat omne meum.  
Spiritus inmundus cum cedit obambulat,  
aptus  
Ut nullum, prius rem reppetit ipse, locum:  
Quem si deprendit purgatū, protinus addit  
Septem peiores Demonas, hiq<sub>3</sub> manent.  
Et tunc sunt extrema suis peiora vel ipsis  
Primis, & sunt deteriora nimis.  
Hac ubi facta, sonat mulier clamore: beatus  
Venter Te portans, ubera sueta simul.  
Contra sed IESUS: mihi dicitur ille beatus  
Audit sermonem quisquis, eumq<sub>3</sub> facit.  
HARTGENIUS repetit modo talia, per-  
gat! eritq<sub>3</sub>  
Ipsius corclum templa beata DEI.

optat

GUEINZIUS.



02 A 572  
(1/2)

ULB Halle 3  
003 808 483



VΦ 17



EVANG.


CHRIST

HALL

Q2 C







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

VITIARUM  
GELICARVM

io Decima nona  
RÆSIDE

NO GUEINZIO  
nafii Hallensis  
Rectore

spondente  
IO HARTGENIO

ERSTADIENSI  
Saxone  
inica Oculi

2. cl. 16c. IIII.  
SAXONUM

um Melchioris Oel-  
blegely

